



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, M.DCCXI**

Sectio Qvinta. Argumenta Palanci.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

cum se ipsa, & ipsis regulis directivis.

N. Porro regulæ moralitatis dirigentes ad  
142. opus, seu electionem, quarum comparatione  
conscientia est in dirigendo moraliter recta,  
seu practice vera, sunt: *Nulla lex non cognita  
obligat: Honestum est sequi dictamen conscientia  
invincibiliter erroneum: Objectum, cuius mali-  
tia latet, & cuius honestas invincibiliter appa-  
ret, est licitum: Omne à Deo preceptum est exe-  
quendum; & similes cuique obvia.*

N. Cur autem dicimus, quod tam actus con-  
143. scientiæ dirigens, quam opus voluntatis à  
conscientiâ directum, debeant esse conformia  
dictis regulis, ut conscientia sit moraliter re-  
cta, seu practice vera: ratio est; quia in tan-  
tum omne dictamen practicum de opere ar-  
tificiose ponendo dicitur practice verum, &  
rectum, in quantum illud dictamen, & illud  
opus sunt conformia regulis artis dirigenti-  
bus: ergo etiam eatenus conscientia dicta-  
men de opere ponendo erit practice verum,  
& moraliter rectum, quatenus tale dictamen  
in dirigendo voluntatem ad opus, seu voli-  
tionem se primis regulis conformat.

N. Hinc facile constat, quomodo idem indi-  
144. vidualibile conscientia dictamen de tali electio-  
ne possit esse in representando naturam talis  
electionis, & objecti voliti, esse, inquam,  
falsum circa honestatem, aut inhonestatem  
electionis, & objecti, quæ representat, quin-  
tamen detur error oppositus regulis morali-  
tatis; imò dirigit voluntatem ad volitionem  
objecti juxta regulas moralitatis; ut enim re-  
gula dictat ponendum opus honestum, ita  
ultimum conscientia dictamen de electione  
putatà per errorem honestà dictat eam po-  
nendam.

N. Ad confirmationem nego antecedens, quod  
145. non sit conforme legi æternæ Dei reflexe; ad  
probationem dico nullum esse inconveni-  
ens, quod Deus indirecte, & per accidens jubeat  
aliquid intrinsece malum apprehensum, ut  
bonum, immò tunc præcipit bonum: rursus  
nullum est inconveniens, quod homo tunc  
mereatur mentiendi, nam meritum, & præ-  
mium attenditur juxta voluntatem operan-  
tis; voluntas enim eligens opus malum ap-  
prehensum ut bonum, bene operatur, & Deus  
ad talem mendacij electionem concurrat au-  
M. Mer. xilio speciali, ut bene Mercor. 1. p. pag. 14.  
art. 6. Vide quæ dixi sect. 2. §. 1.

N. Dices: Omnis conscientia speculative evi-  
146. denter vera est simul moraliter, seu practice  
vera: ergo omnis speculative falsa est practi-  
cè falsa. Concedo antecedens, & nego con-  
sequentiam: ratio est; quia si est evidenter  
vera, seu si est evidens quoad honestatē ob-  
jecti, utique est practice vera, seu apta facere

voluntatem rectam, nempe conformem re-  
gulis morum; ut autem consequentia teneat,  
debet loqui de conscientia evidenter specula-  
tive falsa; hanc enim concedo esse etiam pra-  
ctice falsam, non autem in genere, quia, ut  
constat ex dictis, potest conscientia specula-  
tive falsa esse practice vera, & speculative  
vera esse practice falsa.

Objicies 4. ex M. Baro d. 2. Ethicæ Chri-  
stianæ loco 16. §. 9. S. Thom. sentit, quod qui  
147. discedit à veritate est reus peccati: ergo non  
licet sequi conscientia dictamen erroneum.  
S. Tho. Respondet, à veritate certò cognita, non au-  
tem à veritate incerto cognita.

Dices: Dictamen erroneum non potest li-  
N. gare conscientiam: ergo &c. Nego antece-  
148. dens; quia ut liget, satis est, ut proponat ob-  
jectum, ut conforme legi Dei, & ut præcep-  
tum, ut dixi hic sect. 1. §. 3. Addo ex P. Thy-  
P. Thy. lo tom. 4. d. 6. sect. 5. n. 39. omnes T. T. cum S. Th.  
S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. docere, quod volun-  
tas discordans à ratione, sive recta, sive errante,  
semper est mala; cur autem, nisi quia vitium  
est voluntati discordare à ratione, etsi erran-  
te? nam nihil est malum, nisi quia vel in se est  
malum, vel saltem est vitium: ergo datur  
obligatio sequendi rationem etsi errantem.

Instabis: Operans contra conscientiam er-  
N. rantem operatur conformiter ad dictamen  
149. intellectus Divini aliter de re judicantis; er-  
go non operatur male. Nego antecedens;  
quia, ut bene Herinx tom. 2. d. 4. n. 8. ipse Di-  
vinus intellectus judicat nos non posse ope-  
rari contra dictamen conscientia; non enim  
judicium Dei de re, ut est in se, est regula  
proxima nostræ actionis, sed nostrum ulti-  
mum judicium est talis regula, & huic tene-  
mur conformari.

## SECTIO V.

### Argumenta Palanci.

#### §. I.

Quia implicat, ut conscientia erronea sit recta, &  
ut volitio ab eâ regulata sit honesta.

### SUMMARIUM.

S. Thom. an neget, quod actus concordans ratio-  
ni false sit honestus, n. 151.

Argumenta Palanci, à n. 151. ad 160.

Quia conscientia erronea nequit esse recta, 152.

Quia nulla conscientia erronea est prudens, n.  
153.

Quia volitio rei male non est conformis appetitui  
recto, n. 154.

Quia Deus non tantum vetat cognita ut ve-  
rita, sed etiam non cognita ut verita, num.  
155.

Quia



Quia tristatur de opere malo, etsi putato invincibiliter bono, n. 156.

Quia volitio operis in re mali à nullà regulà regulatur, n. 157.

Quia opus malum, etsi ex errore bonum, eget excusari, n. 158.

Quia Deus dicere posset, *Veni ad regnum, quia mentitus es*, ibid.

Quia nulla doctrina falsa est sana, n. 159.

Quia doctrina erronea destruit virtutes, num. 160.

S. Thom. unicè negat, actum sub errore invincibiliter esse materialiter bonum, n. 161.

Conscientia esse potest logicè falsa, ethicè recta, n. 162.

Opus sub dictamine erroneo est conforme amoris Dei, & appetitui recto, n. 163.

Detecto errore tristatur de opere, quia deinde cognoscitur materialiter malum, & moraliter bonum, ibid.

Volitio sub conscientia erronea regulatur proximè, & formaliter ab eà conscientia, num. 164.

Ignorantia allegatur, ut excuset opus materialiter malum à malo materiali, n. 165.

Solvitur argumentum, *Veni Benedicte*, quia mentitus es, ibid.

Absurda sunt ex ipsa hypothesis, ibid.

Doctrina falsa logicè, potest esse sana ethicè, n. 166.

Error augere potest virtutes, n. 167.

Rejicitur Palanco volens, quod actus malus invincibiliter bonus sit secundum quid honestus, n. 168.

Conclusio nititur utrique premisse, non uni, n. 169.

Obiectum virtutum moralium est tam bonum, quam malum, cognitum ut in re bonum, n. 170.

Similiter obiectum prudentia est tam verum, quam falsum, cognitum ut in re verum, ibid.

N. 150. **M**iror, quod Palancus, quem non semel Matriti strenuè argumentem audit, acutissimi vir ingenij, tantum deferat Celladeo, ut ejus ferè argumentis contra nos qu. 5. à num. 68. bellum intentet; ea fusissime dilatata breviter propono, & quidem omnia simul, cum eadem solutione solvantur.

Primum est ex S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 6. qui postquam sibi objicit hoc argumentum: *Voluntas à ratione discordans est mala, ergo ei concordans est bona*: respondet ex D. Dionysio cap. 4. de Divinis Nomin. *Quod bonum causatur ex integrà causà, malum ex singulis defectibus*; & ideo ad hoc, ut dicatur Tom. I.

malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, quod secundum suam naturam sit malum; sive quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc, ut sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum. Idem intinuat S. Bernardus, ait Palanco qu. 5. n. 4.

Secundum, quod §. 2. vocat efficacissi- N. mum, est: quia implicat, ut conscientia 152. erronea sit recta; sed esset, si actus ab eà directus sit honestus: quid enim est reddere actum formaliter honestum, quam facere illum moraliter rectum? Ergo.

Tertium, ait §. 3. à num. 30. quia nulla N. volitio esse potest recta, seu formaliter ho- 153. nesti, nisi reguletur à prudentia: sed nulla Palanc. conscientia erronea regulatur à prudentia; hæc enim nil falsum dicitur: ergo nulla volitio posita sub conscientia invincibiliter falsa est formaliter honesta.

Quartum, quia finis appetitus recti est N. amor Dei: sed volitio à Deo vetita non est 154. conformis amoris Dei; ergo nec appetitui recto; ergo non est formaliter honesta.

Quintum, quia amor Dei non tantum N. vetat cognita ut vetita, sed ea, quæ Deus 155. reverà vetuit; aliàs Deus de peccato materiali non offenderetur: ergo cum conscientia invincibiliter falsa, proponat ut non vetitum à Deo, quod à Deo est vetitum, eò ipso volitio in tale obiectum tendens non est formaliter recta, nec honesta.

Sextum, quia nullum formaliter hone- N. stum causat tristitiam: sed opus positum sub 156. dictamine invincibiliter erroneo, detecto errore, causat tristitiam; ergo non est formaliter honestum.

Septimum, (ait à n. 48.) dici nequit, à N. quo reguletur volitio posita sub errore in- 157. vincibili de non peccato: non à conscientia erronea, ut fateamur: non à judicio reflexo dictante ponendum opus, quod conscientia invincibiliter erronea proponit ut à Deo præceptum: ergo ea volitio non est formaliter honesta.

Octavum, quia actus formaliter honestus N. non eget excusatione: sed mendacium po- 158. situm sub errore invincibili, quod nunc sit à Deo præceptum, eget excusatione, ita ut ab errore excusetur; ergo non est formaliter honestum, atque adeo nec est dignum poenà, quia ob errorem invincibilem caret culpà; nec est præmiò dignum; aliàs Deus in die judicij dicere posset: *Venite Benedicti, accipite regnum, quia ex errore invincibili mentiti estis*.

Nonum, quia nulla doctrina invincibi- N. liter errans circa legem supernaturalem est 159. sana in ordine supernaturali; ergo nequit volitio-



volitionem sub eo errore positam, facere super-naturalem.

N. 160. Decimum, quia doctrina erronea circa mores destruit virtutes; qui enim ex invincibili errore mentiretur, furaretur &c. non esset verax, & iustus: ergo volitio sub eo posita nequit esse formaliter honesta. En summa argumentorum, quæ vix differunt ab illis, quæ *scilicet* 4. solvi; & meum lectorem, si solutiones à me exhibendæ sint ei breviores, illuc transmittito.

N. 161. Ad 1. respond. Divum Thom. unicè vel-  
S. Th. le, quòd opus sub errore invincibili non sit æquè honestum, ac positum sub conscientia logicè verà: hoc enim non solum est formaliter, sed etiam materialiter honestum; illud verò est tantum formaliter, non materialiter honestum. Nec S. D. vult, quod ut sit formaliter honestum, debeat quoque esse materialiter honestum: hoc enim nego.

N. 162. Ad 2. distinguo: conscientia logicè erronea nequit esse logicè recta, concedo; nequit esse practicè recta, nego. Meminerit arguens conscientiam, aliam esse logicè rectam, aliam practicè rectam: illa sumitur à conformitate dictaminis cum objecto, ut est in re; hæc à conformitate dictaminis, & objecti cum regulis morum; tunc autem facile intelligitur, quomodo conscientia logicè falsa possit esse ethicè recta, & ut ethicè recta regulare proximè ipsam volitionem, eique dare honestatem formalem, etsi non materialem: ut enim dictamen erroneum caret veritate materiali, ita volitio ab eo regulata caret honestate materiali.

N. 163. Ad 3. nego minorem, & probationem: sæpe dixi, quòd prudentiæ non sit necessaria, nisi veritas practica, & ethica; non logica, & speculativa: ergo cum opus, ut positum sub errore invincibili, quòd sit à Deo præceptum, sit conforme dictamini proponenti ut à Deo præceptum, eo ipso est moraliter conformè ipsi appetitui recto, & amoris Dei, ut per illud dictamen falsum propositi. Paritas venatoris occidentis pro ferâ filium, quem certum est non dirigi ab amore filij, retorquetur: ut enim si venator ex amore filij occideret feram, quæ reverà est filius, poneret opus ei amoris moraliter conforme, etsi materialiter disforme; ita in casu nostro. Addo non esse ad rem, quia Deus non offenditur ab ipso opere materialiter malo: etenim etsi Deus vetet opus materialiter malum, vetat, si à nobis cognoscatur ut materialiter malum; non verò si falsò invincibiliter cognoscatur ut moraliter bonum. Hinc nemo trahatur de eo opere, nisi dum cognoscit fuisse materialiter malum; quo

errore deposito lætatur de eo ut moraliter bono, etsi cum aliquâ tristitiâ, quòd simul fuerit materialiter malum.

Ad 4. 5. & 6. patet ex nunc dictis.

N. 164. Ad 7. dico, quòd volitio operis propositi à conscientia ut præcepti reguletur immediate ab eadem conscientia: in ordine autem ad volendum perinde est, quòd lex de tali opere, quæ dicitur reflexa, detur, vel non detur in Deo: dummodò enim à conscientia proponatur invincibiliter, ac si ea lex in Deo daretur, conscientia obligatur tale opus dictare, & voluntas velle; atque adeo ea lex putata per errorem dari in Deo est obiectiva conscientia erronea regula; formalis autem regula volitionis est ipsa conscientia erronea eam legem proponens. Nec ulla inde oppositio, quòd Deus vetet pro omni casu mendacium, & quòd nunc præcipiat mendacium; vetat enim pro omni casu, quo mendacium à conscientia cognoscitur ut malum, & vetitum; præcipit pro eo casu, quo mendacium proponitur ut bonum, & à Deo præceptum: Deus enim non vetat mendacium, nisi dum ut malum cognoscitur.

N. 165. Ad 8. patet ex solutione ad tertium. Ignorantia allegatur, ut mendacium materiale excusetur, non ut formale, ut ipsèmet arguens fateri debet; etenim per illum, & omnes Catholicos, mendacium positum sub errore invincibili non est peccatum formale. Ad absurdum dico, illud oriri ex ipsa erroris hypothese; quòd ut pateat, supponamus aliquem ex Catholicis invincibiliter putare, cultum imaginum esse veritum: ecce in hoc casu Christus D. dicere debebit, *Ite Maledicite &c. quia meam imaginem veneratus es*. Si ergo Palanco ex hypothese talis erroris hoc admittere debet, nam cum omnibus docet, illud peccare formaliter, qui illi conscientia invincibiliter erronea non obedit; ita quoque nullum absurdum, quòd Christus D. dicat, *Veni Benedicite &c. quia mentitus es, invincibiliter putans, me in tali casu præcepisse mendacium*: quæ, & similia verba addi semper debent, ut horror à propositione tollatur. Ratio est; quia præmium, & pœna resultant ex inhonestate, & honestate formalis actus, non ex materiali, si invincibiliter ignoretur: ergo si actio in se mala fiat ex errore invincibili formaliter honesta; aut actio in se bona fiat ex dicto errore formaliter inhonestata, ea præmium, hæc pœnam merebitur.

N. 166. Ad 9. dico, quòd doctrina in re non sana, quia logicè falsa, possit esse ethicè sana, & salutaris; & opus sub eâ doctrinâ invincibili logicè



logicè non sanà propositum, esse meritum. Quare ignoro cur Palanco n. 63. dixerit, omnes docere, quod actus formaliter supernaturaliter honestus regulari nequeat a doctrinà erroneà, cum oppositum plerique TT. & nos cum illis, doceant. Immo, si juxta illum doctrina erronea potest regulare actum, ne sit peccatum formale contra legem supernaturalem; cur non poterit regulare actum, ut sit supernaturaliter formaliter honestus? Vid. *sect. 4. §. 2.*

N. 167. Ad 10. dico, quod error æquè possit augere, ac minuire virtutes; puta, dum quis invincibiliter putat dari leges, quæ in re non dantur, ex-gr. quod hodie jejunandum, pauperi succurrendum, animum prolixa meditatione colendum.

N. 168. Dices ex eodem a n. 68. satis esse, ut dicatur, quod actus regulatus ab errore invincibili sit secundum quid honestus: hic enim actus, *Licet mihi hunc diem non sanctificare*, (suppono esse falsum, quia est dies festivus) quatenus nititur huic principio vero, *Licet non sanctificare diem feriale*, est honestus secundum quid, etsi talis non sit, quatenus nititur huic præmissæ falsæ, *Hodie est dies ferialis*.

N. 169. Sed contra 1. quia hoc est peccare in logicam, adeoque in ethicam: nam conclusio nititur utrique præmissæ, & sequitur debiliorem partem, atque adeo si una ex præmissis sit falsæ, conclusio ab omnibus dicitur absolute falsæ, non verò secundum quid vera: ergo cum dictamen conscientiæ sit conclusio sola, non præmissæ; eaque sola regulet volitionem, & sit falsæ, eo ipso volitio est absolute non honesta, (si error invincibilis non honestat formaliter actum, sed sola logica veritas) nullatenus autem secundum quid honesta. Contra 2. quia ex hac doctrinà sequitur, quod omne peccatum erit secundum quid honestum, si dictamen conscientiæ, contra quod operatur, nitatur uni præmissæ veræ, alteri falsæ: atque adeo hic actus, *Nolo restituere alienum*, erit secundum quid honestus, quia est contra hoc dictamen conscientiæ, *Restituendum est mihi*, quod nititur uni præmissæ veræ, nempe, *Restituendum est alienum*; alteri falsæ, ut suppono, sed hoc est alienum. Similiter, quod omnes Hæreticorum conclusiones erunt secundum quid veræ, quia deducuntur sæpe ex unâ præmissâ verâ; quod nemo dicere audebit. Contra 3. quia per dictam doctrinam, quod actus sequens ad errorem invincibilem sit secundum quid honestus, infringuntur omnia, quæ in nos adduxit. Primum, quia S. Thom. absolute negat, actum sub erroneâ invinci-

bili conscientia positum, esse honestum; nec dicit esse secundum quid honestum. Secundum, quod conscientia erronea erit secundum quid recta; vel si non est, nec volitio erit secundum quid honesta. Quod si dixerit, erroneam esse secundum quid rectam; cur non poterit conscientia esse logicè erronea, & ethicè recta; ipsaque volitio esse materialiter inhonesta, & moraliter honesta? Sanè magis repugnat, ut aliquid sit eodem genere veritatis absolute verum, & secundum quid falsum, quam ut aliquid sit logicè falsum, & practicè verum; & sic de alijs.

Superfedeo à disparitatibus, quas n. 83. adducit. Similiter ab alijs argumentis, quæ n. 170. 125. trahit; cum solverim hic *sect. 4. §. 2. ostē.* Palanco. dendo Doctorum contradicentiū inductione, veritates particulares sæpe invetu impossibiles. Ostendi quoque, omnem Dei legem, si sciatur, esse observatu possibilem, ut fides Catholica docet, non verò si nesciatur. Ostendi etiam, quod objectum prudentiæ sit verum practicum in re, non minus ac justitiæ justum in re. Etenim præter contradictionem, ait enim num. 141. quod justitia nil facit, nisi proponatur invincibiliter justum in re; hoc autem planè contradicit ei, quod trahit n. 142. dicendo, quod medium virtutum sit medium in re conforme, & non tantum in existimatione invincibili operantis: præter hanc contradictionem ludit in æquivoco; putat enim n. 140. Probabilitas docere, quod objectum prudentiæ non sit verum in re, sed tantum in invincibili judicio prudentis; hoc autem est falsum: quando enim negamus, verum in re esse objectum prudentiæ, non negamus esse verum in re, ut subest judicio vero, aut falso; nam omne judicium, etsi falsum, proponitur ut in re verum: sed negamus, quod verum in re, ut divisum à judicio, sit objectum prudentiæ; quare si objectum in re falsum proponatur ut in re verum, erit objectum prudentiæ; eo modo, quo objectum virtutum moralium est bonum in re, etsi quod proponitur ut bonum in re, possit esse in re malum. Ut ergo virtus moralis habet pro objecto bonum in re à cognitione propositum, quæ si vera sit, habet pro objecto bonum in re, ut in re est; si falsæ, habet pro objecto malum in re, ut propositum in re bonum; ita prudentia habet pro objecto verum à cognitione propositum, quæ si vera sit, erit verum in re, ut in re est; si invincibiliter falsæ, erit falsum in re, propositum ut in re verum.



Objectiones Palanci contra leges reflexas.

## SUMMARIUM.

- Quia dici nequit, vi cuius conscientia invincibiliter falsa obliget, n. 172.  
 Quia nulla datur lex reflexa obligans sequi, vel rectam, vel erroneam, n. 173.  
 Quia dabitur lex reflexa obligans ad culpabiliter erroneam, n. 174.  
 Quia implicat, ut obligemur ad falsum, cum obligemur ad verum, n. 175.  
 Quia dici nequit, legem reflexam esse in Deo per accidens, n. 176.  
 Quia Dei lex subordinaretur nostro dictamini, n. 177.  
 Quia Deus praeceperet peccatum formale, num. 178.  
 Quia satis est ponere in Deo legem, ut sequamur conscientiam rectam, n. 179.  
 Quia nulla est necessaria cognitio de lege reflexa, n. 180.  
 Ut argumenta solvantur, non est necesse ponere in Deo leges reflexas, n. 181.  
 Omnis conscientia ab aliqua Dei lege obiective obligatur, n. 182.  
 In ordine ad mores perinde est, siue una, siue duplex lex in Deo admittatur, ibid.  
 Cur a plerisque TT. dividatur Dei lex in directam, & reflexam, n. 183.  
 Admissa lege reflexa argumenta facilius solvantur, n. 184.  
 Egregius textus D. Thom. quod conscientia falsa obliget, quatenus videtur vera, n. 185.  
 Conscientia est regula formalis, & per se proxime obligat; lex Dei est regula obiectiva, n. 186.  
 Conscientia non obligat, nisi aliquam legem proponat, n. 187.  
 Perinde est ad hoc ut obliget, quod lex in re datur, aut non datur, dummodo dari in re proponatur, ibid.  
 Datur lex de sequenda erronea proposita ut vera, n. 188.  
 Nullus Probabilista docet dari in Deo legem sequendi conscientiam, vel veram, vel falsam, ibid.  
 Conscientia culpabiliter erronea deponenda; si non deponatur, ei parendum, n. 189.  
 Sequens erroneam, non sequitur ut erroneam, sed ut veram, ibid.  
 Quid sit legem Dei existere per se, quid per accidens? n. 190.  
 Non omne quod praesupponit aliud, ei subordinatur, n. 191.  
 Deus praecipit peccatum materiale, negatum a conscientia falsa, esse tale, n. 192.

Congruentia cur à TT. admittantur leges reflexae, etsi non necessariae, n. 193.  
 Datur lex in Deo obligans sequi culpabiliter erroneam, si non deponatur, n. 194.  
 Nulla inter TT. in hac re datur contradictio de re, sed tota de nomine, n. 195.

**P**rofusissimus est hic Doctor qu. 6. à n. 9. N. in impugnanda lege Dei reflexa; nec mirum, cum enim inter sensum specificativum, & reduplicativum versetur, quam facile est ab uno ad alium transire, tam facile est arguere. Placuit autem ejus argumenta uno intuitu proponere, praesertim cum eadem solutione solvantur.

Obicit primo: Conscientia invincibiliter falsa, vel obligat ratione sui; & hoc non, quia est regula secundaria; vel ratione alterius legis? hæc autem, vel est lex Dei directa; & hoc non, quia lex Dei directa vetat mendacium, erronea vero præcipit: vel est lex reflexa Dei? & hoc non, quia adhuc hæc negata tenetur homo sequi dictamen erroneum: ergo independenter ab omni lege obligatur.

Secundo, quia tantum abest, ut datur lex reflexa obligans sequi, quin datur lex obligans non sequi conscientiam erroneam; alias nulla foret diligentia necessaria pro veritate habenda: ergo nulla datur lex obligans sequi, vel rectum, vel erroneum.

Tertio, quia daretur quoque lex obligans sequi culpabiliter erroneam; hæc non datur: ergo non datur lex obligans sequi inculpabiliter erroneam.

Quarto, quia implicat, ut in Deo datur duplex lex, una obligans quaerere veritatem, alia obligans sequi falsitatem; daretur enim lex vetans mendacium, & lex præcipiens mendacium.

Quinto, quia dicere, quod lex Dei directa existat per se in Deo, reflexa per accidens, est supponere, quod in Deo possit aliquid existere per accidens.

Sexto, quia si daretur in Deo lex reflexa obligans sequi conscientiam rectam, & falsam, lex Dei non esset prima moralitatis regula, quin subordinaretur nostro dictamini, quod foret prima regula; hoc autem damnatur ab Innoc. II. damnante, quod omnipotentia Dei subdatur nostro arbitrio.

Septimo, quia Deus præceperet mendacium, si datur lex reflexa obligans sequi conscientiam falsam.

Octavo, quia satis est dicere, dari in Deo hanc solam legem, Sequere semper conscientiam rectam: per hoc enim obligabimur sequi erroneam, dummodo recta videatur: quia sola lege posita, nullum sequitur absurdum ex recen-



reconferitis, nempe, quod nulla foret necessa-  
ria diligentia pro inventione veri, quod  
Deus præciperet opposita; quod lex Dei  
nostro arbitrio subderetur, &c.

N. 180. Nonò, quia teneor abique ullà reflexà  
Dei lege sequi culpabiliter erroneam; er-  
go etiam sine ullà reflexà Dei lege sequi te-  
neor invincibiliter erroneam. Antecedens  
probat *num.* 111. quia si daretur lex reflexa  
obligans ad culpabiliter erroneam; Deus  
juberet peccatū, & in peccato complaceret,  
ait *n.* 120. & quod, qui Gentilibus, ut faci-  
lius reducerentur ad Christi D. legem, præ-  
dicaret ex culpabili aut inculpabili errore  
doctrinam falsam, Deus suā lege præcipe-  
ret, ut predicaretur doctrina falsa; & quod  
Deus gratiam suam ad eam falsam doctri-  
nam predicandam conferret; & esset Author  
illius, & posset eam veris miraculis confir-  
mare; præcipue cum ait Palanco *num.* 123.  
quod P. Moya *qu.* 9. §. 7. *n.* 47. & plures alij  
T.T. negent hoc esse absurdum, ut legi po-  
test in P. Ripalda *d.* 4. de Fide *sect.* 4. *n.* 37.

N. 181. Sed hæc facillimè solvantur, si sequentia  
advertantur. Certum quippe apud omnes  
est, aut esse debet, quod ut argumenta con-  
tra errorem invincibilem, honestantem for-  
maliter actum, solvantur, necessarium non  
esse tueri in Deo duas leges, unam directam,  
aliā reflexam. Etenim, si dicatur, hanc so-  
lam dari in Deo legem, *Sequere conscientiam,*  
*quam putas invincibiliter veram,* planum erit,  
quod si invincibiliter erronea appareat vera,  
tenebor eam sequi; & tenebor ponere opus  
in re malum, putatum invincibiliter præcep-  
tum. Hoc posito, ruunt argumenta allata,  
excepto nono, & decimo, quæ sunt contra  
errorem vincibilem, non invincibilem.

N. 182. Certum 2. quod tam conscientia logicè  
vera, quam logicè falsa, putata invincibili-  
ter vera logicè, ratione alicujus legis obje-  
ctivæ Divinæ obligat ad sui sequelam. Quæ-  
rere autem, an hæc lex objectiva Divina sit  
una, aut duplex, nempe directæ, & reflexæ,  
perinde est in ordine ad mores quodcumque  
tuearis, cum certum sit te æquè obligari à  
Deo, ut sequaris invincibiliter logicè fal-  
sam, putatam logicè veram, quam consci-  
entiam logicè veram. Similiter perinde est,  
sive affirmes, sive neges dari in Deo refle-  
xam; dummodo enim per errorem invinci-  
bilem putes eam dari, tencris eam sequi, etsi  
in re non detur; & in hoc errat conscientia,  
quod putet invincibiliter dari in Deo le-  
gem, quæ non datur. Ratio est; quia lex  
non obligat moraliter, nisi per cognitionem  
existat; ergo sive existat in mente per judi-  
cium logicè verum, sive per logicè falsum,

putatum invincibiliter logicè verum, obli-  
gat.

Certum 3. quod eam legem, *Sequere con-* N.  
*scientiam, quam putas invincibiliter logicè ve-* 183.  
*ram,* (quamque dixi satis esse, ut quis obli-  
getur sequi logicè falsam) Theologi pleri-  
que non spernendâ ratione in duas leges di-  
vidunt, ut facilius quæstiones de conscien-  
tia enucleent. Eo modo passim T.T. idem  
realiter Dei Decretum, virtualiter, aut for-  
maliter per rationem, aut ex naturâ rei in  
plura distinguunt, etsi Moderni ingeniosio-  
res negent omnem, etiam per rationem, in  
eodem reali Decreto Dei, distinctionem:  
similiter passim ordinem prioritatis, & pos-  
terioritatis in eodem indiviso realiter Dei  
Decreto admittunt, quam alij negant; hoc  
autem non nisi, quia ut res difficillimæ fa-  
cilius explicantur; nam omnes conveniunt  
nullam in eodem Dei Decreto distinctio-  
nem, aut ordinem realem. Cum ergo hoc  
alibi sit terè omnibus T.T. familiare, & ap-  
probetur; cur à Palanco, & paucis Neoteri-  
cis reprobandur divisio hujus legis, *Sequere*  
*conscientiam, quam putas invincibili errore lo-*  
*gicè veram,* in duas leges, quarum una sit  
circa conscientiam logicè veram; eaque lex  
dicitur directæ, aliā circa conscientiam lo-  
gicè falsam, putatam tamen ex invincibili  
errore logicè veram? quæ dicitur reflexa,  
quia reflectit supra objectum, ut est sub co-  
gnitione falsâ, non, ut est in re divitum ab  
illâ.

Confirmo 1. quia sicut T.T. idem indivi- N.  
sibile realiter Decretum Dei, quia æquiva- 184.  
let pluribus, solent in plura per rationem  
saltem distinguere; ita etiam eadem lex, *Se-*  
*quere conscientiam, quam invincibiliter putas*  
*logicè veram,* quia æquivalet his, *Sequere con-*  
*scientiam logicè veram: Sequere invincibiliter*  
*erroneam,* dividi per nostram rationem po-  
terit in duas Dei leges, unam circa objectum  
cognitum ut est in re, quæ dicitur directæ;  
aliā circa objectum falso cognitum ut in re  
verum, quæ dicitur reflexa. Sanè conscien-  
tia ipsa dividitur à T.T. in logicè veram, &  
in logicè falsam; similiter ab illis examina-  
tur, an una tantum, an utraque obliget; etsi  
sine ullâ divisione satis foret querere, an sola  
conscientia vera obliget; ipsa enim falsâ  
obligat, ut putata logicè vera: sicut ergo  
hæc, & aliæ in plures quæstiones dividunt,  
ut facilius explanentur; ita quoque, etsi Dei  
lex sit una tantum, ad faciliorem tamen  
captum, à quâ lege oriatur obligatio sequen-  
di veram, à quâ invincibiliter falsam, divi-  
dere eam plerique T.T. in duas æquivalen-  
ter Dei leges; unam directam circa objecta  
cognita



cognita per iudicium logicè verum; aliam reflexam circa objecta cognita per iudicium logicè falsum, putatum invincibiliter logicè verum; etsi, reverà loquendo, non detur in Deo nisi lex obligans ad veram, sive illud sit in re verum, sive invincibiliter repræsentetur ut verum in re; erronea enim obligat, ut putatur vera in re.

N. Confirmo 2. ex S. Thom. qui qu. 17. de  
185. Veritate art. 4. ait: *Ille qui habet conscientiam*  
S. Tho. *erroneam, credit esse veram, alias non erraret, & inhaeret conscientie erronee propter rectitudinem, quam in ea credit esse: inhaeret quidem, per se loquendo, conscientie rectæ, sed erronee, quasi per accidens, in quantum hanc conscientiam, quam credit esse rectam, contingit esse erroneam: & exinde est, quod, per se loquendo, ligatur à conscientia recta; per accidens vero ab erronea. Nil magis ad rem. Ecce 1. quod nemo sequatur erroneam, nisi quatenus putatur vera, & recta logicè. Ecce 2. quod ad veram obligamur per se loquendo, ad erroneam per accidens, nempe sub ratione veri per errorem affixi. Ecce 3. quid sit legem, sive Divinam, sive humanam obligare per se, quid per accidens.*

N. Modò solvo argumenta, etiam supposita  
186. duplicis in Deo legis directæ, & reflexæ divisione. Ad primam objectionem dico, quod sicut conscientia vera est per se ipsam formalis, & proxima regula volitionis; obiectiva autem est ipsa lex Dei, quam conscientia vera repræsentat: ita conscientia falsa logicè obligat formaliter ratione sui, est enim regula immediata operis ponendi; obiectiva vero est lex Dei, quam invincibiliter repræsentat. Quare nego, quod conscientia sit regula formalis secundaria, quin est formalis primaria; lex autem Dei per conscientiam, sive veram, sive falsam, proposita, non est regula formalis, sed est regula obiectiva primaria, sive à conscientia verâ, sive à falsâ proponatur. Secernat ergo arguens objectum quod ab objecto quo; & omnia plana. Id quod obligat, est ipsa lex Dei proposita à conscientie dictamine, etsi invincibiliter falso, supposito ut logicè vero; & idè ipsa lex Dei dicitur prima regula obiectiva. Id quo obligat, est ipsamet conscientia, quæ est regula formalis: etenim lex Dei non obligat, nisi ut applicata per cognitionem, sive logicè veram, sive falsam logicè, putatam tamen logicè veram: ergo dummodo lex Dei, sive reverà in Deo existat, sive putetur reverà in Deo existere, à dictamine conscientie proponatur esse reverà in Deo, homo ab eo dictamine tamquam à regulâ formali ut quo; & ab ipsâ lege

ab eo dictamine propositâ, ut verè in Deo existente, obligatur ut quod ponere tale opus. Qui scit, quod lex etsi verè existens, non tamen cognita, perinde est quoad non obligandum, ac si non existeret; & contra lex in re non existens, existens tamen in cognitione, perinde est quoad obligandum, ac si existeret, nil horum metuit. Hinc constat, quod sive lex reflexa, *mentire, si invincibiliter iudicas mentiendum*, sit in Deo, sive non sit, satis est, ut in mente existat per errorem invincibilem, quod ea lex sit reverà in Deo, ut quis obligetur ab eâ lege mentiri.

Dices cum Palanco: Potest quis sine ullâ  
N. advertentiâ ad legem Dei reflexam de men- 187.  
tiendo, obligari ad conscientiam erroneam: Palanc.  
ergo ea lex reflexa non datur in Deo. Imbellis obiectio; si quid enim probat, probat quoque nos non obligari à lege Dei directâ, quia possum ab eâ præscindere; ergo non dabitur in Deo lex directâ. Dico igitur, quod ut conscientia liget, debet aliquam legem proponere, à qua obligetur obiective; nam à se non obligatur obiective, sed tantum formaliter dirigendo ad opus propositum à lege. Quare si conscientia sit logicè vera, proponit legem reverà existentem; si falsa, eo ipso non proponit legem in Deo reverà existentem; quin circa hanc errat logicè, sed proponit legem, quæ in re non existit, attamen per errorem putat in Deo existere. Distinguat ergo error circa legem Dei directam à non errore circa reflexam, & omnia patebunt. Conscientia invincibiliter falsa non errat circa legem Dei reflexam, sed circa legem Dei directam dictantem mendacium; quæ lex directâ non datur in Deo: non errat autem circa reflexam, quia errore supposito, ut veritate, datur reverà in Deo lex reflexa obligans ad mendacium.

Ad secundum dico, nullam dari legem  
N. obligantem sequi erroneam cognitam ut er- 188.  
roneam; datur tamen lex obligans sequi erroneam propositam invincibiliter ut veram. Obligat ergo erronea putata ut vera, eaque habet pro objecto legem, quæ sive detur in re, sive tantum in mente, perinde est ad hoc, ut quis obligetur eam sequi. Porro certum per omnes est, quod si error cognoscatur, tunc teneor eum deponere; si verò error putetur invincibiliter veritas, teneor eum sequi, tantò magis, quod tunc deponi non potest, quia non cognoscitur ut error, sed ut veritas. Nego autem ullum dari Probabilistam, quin nec ullum Catholicum, qui somniaverit in Deo hanc legem, *Sequere*  
*consci-*



conscientiam, vel veram, vel falsam; sed hanc, sequere conscientiam, vel logicè rectam, vel à te putatam ex invincibili errore rectam. Rogo autem Palancum, ne à sensu specificativo, quem admittimus, transeat ad reduplicativum, quem negamus. Tuemur nos obligari sequi invincibiliter erroneam putatam ex errore ut veram; negamus erroneam cognitam ut erroneam.

N. Ad tertium dico, loquendo de culpabili-  
189. ter erroneà, quòd primò, & per se tenemur eam deponere; quòd si deponere nolumus, tunc tenemur, ut omnes docent, eam sequi.

Ad quartum dico, nullam in hoc repugnantiam, tenemur sequi verum, immò & falsum propositum invincibiliter ut verum: qui autem sequitur conscientiam invincibiliter falsam, non sequitur reduplicativè ut falsam, quin specificativè falsam sequitur ut reduplicativè veram. Quare audiendus non non est Palanco *qu. 6. n. 9.* dicens, quòd P. Moya, P. Carden. & P. Terillus *qu. 1. i. assert.* 6. doceant, dari in Deo legem de sequendâ conscientia verâ, vel falsâ: etenim etsi eo modo loquerentur, de quo valdè dubito, nil aliud volunt, quàm sequendam erroneam cognitam ut logicè veram; non verò cognitam ut erroneam.

N. Ad quintum, quid sit obligare per se, & per accidens, adeò acutè, & clare exponit S. Thom. *suprà n. 185.* ut omnis alia explicatio sit superflua: etenim hi sunt loquendi modi, quibus T. T. utuntur; non verò sensus est, quòd aliquod accidens in Deo existat: etenim lex reflexa, quæ à nobis dicitur existere in Deo per accidens, existit per se in Deo; sed dicitur existere per accidens, quatenus præsupponit nostrum errorem.

N. Ad sextum nego, quòd omne, quòd aliud  
191. præsupponit, huic subordinetur; aliàs omnia Decreta Dei condonativa, punitiva, & alia, quia præsupponunt nostra peccata, vel condonanda, vel punienda, subordinarentur nostris peccatis. Vt ergo plures Dei leges, & Decreta possunt præsupponere aliquid ex parte hominis, quin Deus non sit prima lex; ita in casu nostro, lex Dei, etsi præsupponat nostrum dictamen, non tamen huic subordinatur, nec mirum, si mutato nostro dictamine, mutetur nostro loquendi modo ipsa Dei lex. Nec damnata est ad rem; tum quia dicit, subordinari, & donari creaturæ omnipotentiam, quasi villam, & librum, qui est turpis, & falsus explicandi modus: tum quia dicam, Dei legem subordinari nostris iudicijs; si enim iudicem dari, obligat; si non dari, non obligat.

N. Ad septimum nego Deum præcipere pec-

catum formale; nam est de fide non dari peccatum formale sub errore invincibili; ad summum præcipit peccatum materiale, cognitum tamen ut in re bonum: qui enim mentitur sub errore invincibili, quòd sit mentiendum, ponit mendacium, quòd in re est peccatum materiale; ponit tamen sub iudicio, quòd non sit opus in re malum, immò sit in re bonum, & præceptum.

Ad octavum, fateor satis esse tueri in Deo N. solam legem sequendi semper, quòd homo  
193. iudicat invincibiliter verum logicè. At quis non videat, quòd contra hanc legem militent ipsamet Palanci argumenta? En aliquæ illationes. Ergo si opus in re malum proponatur ut præceptum, tenebor illud ponere: ergo Deus præcipit in re malum, & sequi conscientiam logicè falsam. Deinde ideo à plerisque T. T. quin à nobis admittitur in Deo duplex lex, una directâ, alia reflexa, ut sciatur, quid Deus directè, quid reflexè, & per accidens præcipiat; & ut facilius respondeamus duplici quæstioni distincte, nempe an Deus obliget tantum ad conscientiam in re veram, an etiam ad logicè falsam, putatam ex errore invincibili veram; & quia cum duo sint objecta, unum cognitum ut in re est, aliud cognitum, non ut in re est, sed ex errore iudicatum ita esse in re, seu objectum ut est in mente; ita pro objectorum divisione, & pro methodo clariori, duas quoque leges in Deo per nostram rationem distinguimus; ita ut lex Dei de objecto à nobis cognito per cognitionem veram, dicatur directâ; de objecto cognito aliter, ac est in re, putato tamen ita esse in re, cum non sit, dicatur reflexa. Vt enim secunda dicitur reflexa, quia cadit supra errorem proponentem objectum ut est in se, non ut est sub cognitione: ita quoque lex Dei de objecto ut est in re, dicitur directâ; lex Dei de objecto, ut subitante nostro iudicio logicè falso, putato tamen vero, dicitur reflexa.

Ad nonum nego antecedens; datur enim N. lex reflexa obligans sequi vincibiliter erro-  
194. neam, si non deponatur, ut omnes docent: ergo ipsa culpabilis conscientia proponit sibi legem Dei, à quâ obligatur, quæ lex perinde est, ut vocetur directâ, aut reflexa, dummodò conscientiam obliget. Nec per hoc Deus præcipit peccatum formale, quin primario præcipit, ut ea deponatur; quòd si non deponatur, præcipit, ut ponam opus dictatum ab eâ conscientia culpabiliter falsâ; hoc autem opus non est peccatum formale, nisi in causâ, seu in ipsâ culpabili ignorantia, ut latè *Disp. sequenti* dicam. An autem



autem Deo placeat opus sub culpabili ignorantia positum? Ad hoc ipsum Palanco respondere debet: nam *qu. 6. §. 6.* aperte docet, obligari nos sequi culpabiliter erroneam. Deinde dico non esse novum, quod opus illud, ut conforme legi Dei obliganti nos ad culpabiliter erroneam, nisi deponatur, Deo non displiceat, imò placeat: ut verò idem opus est in re, Deo displiceat, quia est peccatum formale in causa: ita dicimus, furtum liberè commissum, ut est in se, Deo displicere; ut autem est à Deo concurrente, & participatio libertatis Divinæ, (nam libertas humana dicitur participatio Divinæ) Deo non displicere. Ad paritatem, quod juxta nos prædicans ex invincibili errore falsum eliciet actum formaliter honestum; dico nullum in hoc absurdum, & totum quod adest, est in ipsa absurda suppositione, quæ admissa ut verà, & non absurda, illud quoque non erit absurdum.

Concludo, nullam inter DD. esse possibilem, nisi de voce. Qui tuentur in Deo legem reflexam obligantem sequi conscientiam erroneam, sumunt eam materialiter, ut est in se, & præcisam à mente operantis. Qui negant dari eam legem reflexam, sumunt conscientiam erroneam reduplicativè ut est in mente, non ut in re. Cum ergo objecta sint inter se longè diversa, implicat, ut DD. sibi contradicant, nam contradictio est oppositio de eodem objecto. Quomodo, qui tuentur intellectum posse tendere in falsum, & voluntatem in malum, sumunt falsum, & malum specificativè; qui negant, sumunt reduplicativè; nec opponuntur, imò conveniunt inter se iidem DD. in hoc, quod intellectus tendens in falsum, tendat in illud sub ratione veri; & voluntas in malum sub ratione boni.

## DISPUTATIO VII.

### De ignorantia, & errore invincibili.

N. 1.



ATIS hæcenus disputatum de ignorantia, & errore invincibili excusante actum sub eà sequentem ab omni malitià formali, imò honestante formaliter eundem actum; modò de ignorantia, & errore invincibili tractandum; & quidem rem omnem brevissimè confecerim, nisi P. Elizal. 2. p. lib. 5. quæst. 4. & post eum P. Thyrsus Gonzalez. tom. 4. d. 6. & M. Palanco qu. 8. per totam aliqua docuissent, quæ uberiori calamo expendenda sunt; placet autem sub primum intuitum adducere, quæ trahit P. Thyrsus, ut proposita difficultate planior sit nostra sententia; deinde, quæ alij adducunt, reservamus pro argumentis nostræ doctrinæ oppositis.

#### SECTIO I.

Doctrina Patris Thyrsi Gonzalez.

##### §. I.

Prima ejus doctrina, & hujus fundamenta.

#### SUMMARIUM.

Docet peccari verè, & propriè errore culpabili, absque eo quod quis advertat se peccare eo instanti, quin etsi certò putet se honestè operari, 2.

Quia id occurrit, stat pro præterito: & sola ignorantia antecedens omne exercitium voluntatis est invincibilis, n. 3.4.

S. Thomas dicit ignorantiam triplici modo se habere ad voluntatem, n. 5.

Quid affectata, quid crassa ignorantia? ibid.

Et quia Doctores muniunt præterito, dum ignorantiam vincibilem exponunt, n. 7.

Quia qui cognoscit se peccare, non peccat ex ignorantia: dari autem ignorantia peccata, est certum, n. 9.10.

Omne peccatum ignorantia supponit aliud, ibid.

Quia ut quis peccet, opus non est, ut toto quo peccat tempore, advertat se peccare, n. 11.

Quia tantum adest, ut hac propositio, sæpe peccatur, quin sciatur, sit Jansenistica, quin est S. Aug. Synodi Palæstina, & Doctorum, qui Jansenium impugnant, n. 12.

Quia non advertens agit liberè contra legem, num. 13.

Docet 1. insignis iste Doctor Salmantis. N. 2. censens, posse peccari verè, & propriè P. Thyrsi ignorantia, aut errore culpabili, quin eo instanti, quo quis contra legem operatur, seu peccat, advertat se peccare: & quod plus est, (ait l. c. n. 127. & 128.) quin ullam tunc suspicionem habeat de malitià; & subdit hanc esse constantem Patrum, & Theologorum